



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio VIII. Argumentum. Contra indissolubilitatem Matrimonii, quam esse dicimus etiam de Jure naturali, adducuntur exempla antiquorum, à quibus eorum Conjugia fuerunt soluta, & Philisthea à ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

nium non esset insolubile, & mulier posset cognosci carnaliter à pluribus Viris. Ergo insolubilitas prædicta est etiam de Jure naturæ; ut docent etiam Emin. Card. de Lauræa de eod. *Sacram. Matrim. disp. 16. à num. 38. & seqq. Layman libr. 5. tract. 10. part. 2. cap. 1. num. 2.* atque Azorius tom. 1. lib. 6. cap. 1. *quest. 3.*

Sed contra prædicta insurget aliquis, & obijciendo ita argumentabitur. *Primò*: Jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit. *lib. 1. §. Jus naturale. ff. de Just. & Jur. Imperator Justinianus in Instit. lib. 1. tit. 2. in princ.* Sed non omnia animalia servant insolubilitatem

34 conjugii; quia, ut experientia docet, tam in volatilibus, quam in quadrupedibus eorum concubitus est vagus, ac liber. Ergo dicta insolubilitas dici non potest de Juræ naturæ. *Secundò*: non solum animalia irrationabilia, sed neque plures homines eandem insolubilitatem servant; nam Gentiles, Pagani, atque Mahometani, & alii infideles dimittunt uxores ad beneplacitum; & cum aliis contrahunt Matrimonium; prout fecisse legimus Regem Assuerum,

35 qui dissolvit Matrimonium antea contractum cum Regina Vasthi, & de novo contraxit cum Esther Virgine Judæa, Nepte Mardochæi, ut habetur in ejus *libr. Esther. cap. 1. num. 19.* Imò multò ante ipse Abraham dimiserat, Agar Uxorem suam cum filio Ismaele, quem ex ea genuerat; & multò post Romani repudium Uxorū deduxerant in praxi, eas dimittentes, ac vinculum Matrimonii solventes, ut testatur Valerius Maximus *lib. 2. cap. 3. tit. de Repud. factitatum à Spurio Carbio*, qui Uxorem sterilitatis causa repudiavit; quod notavit etiam Lessius in 3. p. D. Thom. De Sacram. Matrimonii cap. 5.

36 *Dub. 2. n. 90. & Gonet. d. disp. 5. num. 23. Tertiò*: & multò magis dissolubilitas nexus conjugalıs practicabatur à Judæis, quibus licitum semper fuit dare uxoribus suis libellum repudii, & alias ducere, ut in *Deuterom. cap. 24. num. 1.* *Quartò*: imò etiam inter Christianos videtur hæc eadem solubilitas conjugii deducta ad praxim, ut de Constantino Imperatore filio Irenes scribit Emin. Cardin. Baronius Anno 788. De Michaelē III. pariter Imperatore, qui hac de causa expulit S. Ignarium Patriarcham, cui succēssit Photius; Anno 858. De Lothario Francorum Rege Anno 862. & de aliis, ex quibus exemplis infertur, insolubilitatem vinculi Matrimonii non posse dici esse de Jure naturæ; attento axiomatico vulgatissimo, quòd Jura naturalia sunt

37 immutabilia. *l. Jura sanguinis*; & ibi Decius de Reg. Jur. §. fin. *Instit. De Jure natur. gent. & civil.*

His tamen minimè obstantibus, constans est conclusio, quòd nexus conjugalıs est indissolubilis etiam de Jure naturæ; & idèò respondetur ad Primam objectionem, quòd Jus naturale bifariam accipitur, itaut aliud dicatur primum, aliud verò secundarium. Jus naturale primum est illud, quod commune reperitur tam hominibus, quam cæteris animantibus; quibus ex solo instinctu, & inclinatione naturæ indicitur pro proprii individui conservatione; ut seipsum diligere, sese custodire, declinare ea, 40 quæ nocitura videntur, vim vi repellere, quærere, & parare ad vitam necessaria, sui simile procreare, & id genus alia, de quibus Anton. Pichardus

in *Commentar. Instit. lib. 1. tit. 2. num. 4.* Jus verò Naturale secundarium est illud, quod in sola naturali ratione conquiescit, & convenit tantum hominibus, qui ab eadem natura edocentur ea, quæ rationabiliter sunt vel facienda, vel evitanda; videlicet Religionem erga Deum, amorem erga parentes, & patriam, obligationem antidoralem, idest ut beneficentibus beneficiamus, pactorum observantiam; ut honestè vivamus, alterum ne lædamus, jus suum ut cuique tribuamus, & alia similia, quæ lumine naturali cognoscuntur ab hominibus esse rationi consona, & per ipsam naturam indicata, ac præcepta; & hujusmodi est perpetuitas nexus Matrimonialis, quia jus naturale (ut supra dictum est) docet non solum procreare prolem, sed eam bene educare, & instruere per totam vitam, ac eidem hereditatem paternam, ac maternam relinquere; ad quæ omnia peragenda, oportet, quòd Matrimonium sit insolubile; ut Maritus, & Uxor simul conviventes usque ad mortem possint huic præcepto Juris naturalis erga filios satisfacere. Igitur cessat obiectio, quòd animalia irrationabilia non servant insolubilitatem conjugii, etsi capacia sint Juris naturalis; nam eorum capacitas se extendit tantummodò ad Jus naturale primum, non autem ad secundarium, quod spectat ad solos homines rationis usum habentes; qui à natura docentur vivere in Matrimonio inseparabiliter usque ad mortem. Jus autem illud primum dicitur potiùs impetus naturæ, affectus, & inclinatio, quàm Jus, ut notat Laurentius Valla *lib. 4. elegant. Mynsingerius*, atque Pichardus *d. tit. 2. in princ. tituli num. 4.* Secundæ, Tertiæ, ac Quartæ objectionibus dabitur resolutio in Decisionibus sequentibus.

DECISIO VIII.

ARGUMENTUM.

Contra indissolubilitatem Matrimonii, quam esse diximus etiam de Jure naturali, adducuntur exempla antiquorum, à quibus eorum Conjugia fuerunt soluta, & Uxores repudiata; nempe Agar ab Abrahamo, Philisthæa à Sampsonē, Michol à David; Vasthi à Rege Assuero, & plurimæ aliæ à Romanis, simulque à Sinesibus, ac à Turcis. Respondetur ad prædicta Exempla, & ostenditur, ea nihil concludere pro Matrimonii solubilitate etiam de Jure naturæ. Tandem quæritur, & resolvitur, An Matrimonia Infidelium, cum facultate repudii inita, sint valida? Et An sic contrahentes peccent.

SUMMARIUM.

- 1 Agar Uxor Abrahami ab eo dimissa, & repudiata.
- 2 Sampsonis Uxor Philisthæa illum repudiavit, & alteri nupsit.
- 3 Michol filia Saulis, & Uxor Davidis, eo relicto, nupsit Phaltiel.

4 Assue-

- 4 *Assuerus Rex, soluto Matrimonio per repudium Regine Vasthi, ducit Esther in Uxorem.*
- 5 *Assuerus Rex quis fuit?*
- 6 *Repudia Uxorum, ac solutionem Vinculi Matrimonialis permittebat Jus Civile Romanorum.*
- 7 *Repudia Uxorum apud Romanos alia cum causa, alia sine causa.*
- 8 *Mima Uxor Antonii repudiata ex Cicerone.*
- 9 *Claves domus datae Uxoribus in Matrimonio, ablatae in repudio.*
- 10 *Repudium Uxoris, quae non velato capite exiverat domo.*
- 11 *Alterius, quae secretò loquebatur cum quadam libertina.*
- 12 *Unius, quae ad Ludos spectandos accesserat.*
- 13 *Domitia repudiata à Domitiano Imperatore.*
- 14 *Thurii habebant Legem de repudio Uxorum.*
- 15 *Ubi esset istorum Civitas?*
- 16 *Clodia, Cecilia, Scribonia, & alia Matronae Romanae repudiatae à Maritis.*
- 17 *Nasi humiditas causa repudiandi Uxorem ex Juvenali.*
- 18 *Sinenfes, ac alii Indiani solent repudiare Uxores.*
- 19 *Mahometani, ac Turcae repudiant pro libito Uxores.*
- 20 *Natura repugnat solutioni Matrimonii ante mortem.*
- 21 *Agar fuit dimissa ab Abrahamo quoad thorum, non quoad vinculum.*
- 22 *Et ex Dei commissione; cujus providentia Abraham fidit.*
- 23 *Ismaeli, & ejus Matri Agar necessaria misit Abraham in Desertum.*
- 24 *Synagoga repudium significatum in repudio Agar.*
- 25 *Sampsonis Uxor ab eo devertit jussu Patris sui Pagani.*
- 26 *Hebraeis prohibitum erat ducere Uxores alienigenas.*
- 27 *Genitorum contra voluntatem Matrimonia inita à filiis infelicia.*
- 28 *Sampsonis socer an licite ejus Uxorem alteri maritarit?*
- 29 *Societates cum infidelibus, & haeticis infelices.*
- 30 *Saul ex odio contra David dedit alteri in Uxorem filiam suam Micholem.*
- 31 *David dimissus per fenestram ab Uxore Michole, ut eum salvaret.*
- 32 *Micholis Matrimonium cum Phaltbielo nullum.*
- 33 *Michol an peccaverit nubens Phaltbielo jussu Regis Saulis?*
- 34 *Sacramenta simulare non licet, neque metu mortis.*

35 *Matrimonium simulare licet ob gravem metum. Et cur?*

36 *Ebrietas judicium rationis offuscet.*

37 *Vasthi Regina an juste recusaverit accedere ad Assuerum?*

38 *Romani in multis contra legem naturae agebant.*

38 *Philosophi, qui cognoverunt, Unum solum Deum esse.*

40 *Romani Idolis suis Victimae humanas sacrificabant.*

41 *Luxuria Paganorum, & Turcarum offuscet in eis lumen naturae.*

42 *Infidelium Matrimonia an sint valida?*

43 *Distinctione solvitur dubium.*

44 *Infideles an peccent, dum repudiant Uxores.*

Altera objectio, in praecedenti Decisione sub num. 35. facta ad impugnandum, quòd indissolubilitas Matrimonii sit de Jure naturali; fundatur in eo, quòd plures nationes hominum usque ab antiquissimis temporibus, etsi lumine naturali ditatae, & secundum Jus naturae viventes praedictam indissolubilitatem non servabant, sed quodocunque sibi placebat, nexum Matrimoniale solvebant, Uxores suas dimittentes, ac alias sibi copulantes, prout ex sequentibus Historiis, Scripturis, & Exemplis.

Primo ex facto Abrahami; qui attenta sterilitate Sarae Uxoris suae accepit sibi in Uxorem etiam Agar Aegyptiam, ut legitur Genes. 16. 4. ibi: Tulit (Sara) Agar Aegyptiam ancillam suam, & dedit eam viro suo (Abrahamo) uxorem; qui ingressus est ad eam. (Quomodo autem licite potuerit Abraham, habens Saram Uxorem, accipere etiam Agar, & cum eadem Matrimonium contrahere? explicabimus infra in Decis. XXII. in qua de Impedimento Ligaminis, ac de Polygamia antiquorum temporum verba faciemus.) Agar itaque nupsit Abrahamo, & facta erat ejus Uxor, ac eidem pepererat filium, ut subdit textus d. Genes. 16. 16. Peperitque Agar Abrahæ filium, qui vocavit nomen ejus Ismael. Et nihilominus post tresdecim circiter annos cum Sara quoque concepisset, ac peperisset filium, cui impositum fuit nomen Isaac, ut habetur Genes. 21. 1. ipse Abraham ad instantiam ejusdem Saræ solvit Matrimonium initum cum Agar, & eam dimisit de domo sua; nam ut ait textus d. Genes. 21. 10. Cum vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Ejice ancillam hanc, & filium ejus; non enim erit heres filius ancillae cum filio meo Isaac. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem, & utrem aquae imposuit scapulae ejus, tradiditque puerum, & dimisit eam. Ecce factum divortium cum solutione vinculi Matrimonialis: nunquam enim rediit deinceps Agar ad Abrahamum; qui imò post mortem Saræ, aliam duxit Uxorem nomine Ceturam; ut ex Genes. 25. 1. Ergo insolubilitas Matrimonii non est de Jure naturali; contra quod fecisset Abraham dimittendo Agar uxorem suam, & vinculum Maritale, cum ea antea contractum, solvendo.

Secundò ex exemplo Sampsonis, qui duxit in Uxorem mulierem Philistinam, ut constat ex libr. *Judic. cap. 14.* ubi narratur, quòd post contractas nuptias, orto dissidio inter eundem Sampsonem, & parentes, ac concives Uxoris ipsa Uxor ejus accepit Maritum unum de amicis ejus. *Judic. 14. 20.* cumque de hoc indolentiam fecisset Sampson cum Socero suo, respondit ei, seipsum excusans: *Patavi, quòd odisses eam, & ideo tradidi illam amico tuo: sed habet Sororem, quæ junior, & pulchrior illa est, sit tibi pro ea Uxor. Judic. 15. 2.* Igitur Socer Sampsonis solverat conjugium filiae suæ, eamque alteri maritarat, etsi prius eam dedisset illi in Uxorem; unde deducitur, indissolubilitatem Matrimonii non esse de Jure naturali, nam ad ejus observantiam homines illi Philisthei, etsi infideles, erant obligati.

Tertiò ex facto Saulis Regis Judæorum, qui dederat in Uxorem Davidi filiam suam Michol in præmium devicti, ac obruncati Gigantis Goliathi; & cædis Philistinorum, sic testante Scriptura Sacra. *1. Reg. 18. 27. Et post paucos dies surgens David abiit cum viris, qui sub eo erant; & percussit ex Philistiim ducentos viros, & attulit eorum præputia, & annumeravit ea Regi, ut esset gener ejus. Dedit itaque Saul ei Michol filiam suam Uxorem.* At non multò post ipse Saul solvit hoc Matrimonium; & fecit ut eadem Michol nupserit alii Viro, nempe Phaltiel filio Lais; unde ait Scriptura, quòd post mortem Saulis, ipse David factus Rex misit nuncios ad Isobeth filium Saul, dicens: *Redde uxorem meam Michol, quam despondi mihi centum præputiis Philistiim. Misit ergo Isobeth, & tulit eam à Viro suo Phaltiel filio Lais; sequebaturque eam Vir suus plorans usque Baburim. 2. 2. Reg. 3. 14.* Ergo indissolubilitas Matrimonii non est de Jure naturæ, quia à viris illis non servabatur.

Quartò ex repudio dato per Assuerum Regem Persarum, ac Medorum Vasthi Reginae Uxori suæ, eo quia vocata ad ejus convivium recusavit accedere; ut narratur libro *Esther. cap. 1. ubi num. 19.* ponitur Regis Edictum, quo sancivit, ut nequaquam ultra Vasthi ingrediatur ad Regem; sed Regnum illius altera, quæ melior est illa, accipiat. Fuit autem Esther Neptis Mardochai Judæi, quæ, in locum Vasthi repudiata Reginae, accepta fuit in Uxorem à Rege Assuero, ut d. libr. *Esther. 2. 17.* Quis autem fuerit Rex Assuerus, non est concursus Scriptorum sententia; alii enim ajunt, eum fuisse Xersem, alii Artaxersem Longimanum Xerxis filium, alii Darium Hyastaspem, & alii Artaxersem Ochum, ut refert Cornelius à Lapide in *Comment. ad libr. Esther in princ.* ubi harum opinionum Auctores refert. Cæterum quoad rem nostram, si Matrimonium esset insolubile de Jure naturæ, non videtur hac cum facilitate potuisse Regem Assuerum solvere conjugium suum cum Regina Vasthi, & contra Jus naturale eam dimittere, prout fecit.

Quintò ex praxi Romanorum, apud quos licita erat solutio Matrimonii, ut ex Valerio Maximo dictum est supra in præced. Decif. VII. num. 36. factum fuisse à Spurio Carbilio; & concludenter constat ex tit. *Digestor. de Divortiis*, nec non ex tit. *Codicis. De Repudiis*, in quibus agi-

tur de solutione Matrimonii; quæ fieri poterat tum à Marito, repudiando Uxorem; tum ab Uxore repudiando Maritum, ad effectum contrahendi novas nuptias cum aliis, etsi primus Maritus, vel prima Uxor, post factum divortium seu repudium, viverent; ut notat M. Ant. Peregrinus Eques Patavinus in tract. *Var. libr. 2. ad Rubricam de Judiciis num. 14.* & differit Gregorius Tholosanus *Syntagm. Jur. part. 2. lib. 9. cap. 15.* ubi advertit, quòd talis solutio Matrimoniorum fiebat vel ex mutuo consensu conjugum, vel altero invito: & tunc vel ex aliqua justa causa enunciata in *l. Consensu 8. C. de Repudiis*; vel etiam sine causa; sed incurreretur multa amissionis dotis, si Uxor solvebat Matrimonium; vel alterius pænæ, si Maritus dictam solutionem petebat, prout in *d. l. Consensu 8.* qui ulterius aliam Uxorem ducere non poterat intra quinquennium; ut latius demonstrat Bart. & Paulus de Castro in ead. *l. Consensu*; & Tholosanus *d. cap. 15. num. 20.* Ex his confirmatur, quòd indissolubilitas Matrimonii non videatur provenire à Jure naturali, cujus observantiam profitebantur Romani; sed vinculum conjugii non tenebant indissolubile; prout ulterius demonstratur ex Historiis, ac sequentibus Exemplis; videlicet

Sextò ex Cicerone, qui *Orat. 2. contra Antonium*, agens de divortio, ac solutione Matrimonii, quam fecerat ipse Antonius dimittens Mimam Uxorem suam, ait, quòd *illam suas res sibi habere jussit, ex duodecim tabularum lege claves ademit, & exegit domo.* Siquidem quando Uxores contracto Matrimonio accedebant ad domum Mariti, ab eo recipiebant claves domus in signum potestatis, quam consequabantur tanquam Matres familias, & domini rerum domesticarum, juxta *l. Clavibus 74. ff. De contrahen. Empt.* sic expellebantur domo, soluto Matrimonio, Maritus ab eis claves repetebat.

Septimò ex Valerio Maximo *lib. 6. cap. 3.* qui narrat, C. Sulpitium Gallum repudiasse Uxorem hanc tantum ob causam, quia eam capite aperto, & non velato foris versatam cognoverat.

Octavò; nam & Q. Antistius nexum maritalem rupit, teste eodem Valerio Maximo quia illam semel secretò loquentem viderat cum quadam vulgari libertina.

Nonò; & P. Sempronius Sophus conjugem suam repudii nota affectit nihil ob aliud, nisi quia, se ignorante, ludos spectarat; quam causam legitimam esse divortii faciendi declarat Jus Civile in *d. l. Consensu 8. §. Vir quoque. C. de Repudiis* his verbis: *Vir quoque nullo modo expellat nisi adulteram &c. vel circensibus, vel theatralibus ludis, vel arenarum spectaculis, in ipsis locis, in quibus hæc assolent celebrari, se prolubente gaudentem, &c.*

Decimò accedit prædictis aliud exemplum repudii, quod fecit T. Flavius Domitianus Imperator de Domitia Augusta Uxore sua. relatum à Svetonio *lib. 8. in Vita ejusdem Domitiani* his 13 verbis: *Deinde Uxorem suam Domitiam, ex qua in secundo suo Consulatu Filium tulerat, alteroque anno consalutaverat ut Augustam, eandem Paridis bisfrionis amore deperditam, repudiavit.*

Undecimò consonat, quod de Thuriis scribit Diodorus Siculus *lib. 12. Bibliothec. videlicet: Modifi-*

Modificatam fuisse legem, qua jus Uxori permittebatur, à Viro, ubi visum esset, discedere, viroque alteri cuiunque collibisset, consuecere: editumque, ut relictio priore Viro, cuiunque collibisset, non liceret se jungere juniori: pariter nec si Vir Uxorem ejecisset, non liceret sibi juniorem jungere. Thuri ergo solvebant prohibitum vinculum Matrimoniale; & hi erant populi habitantes in magna Græcia; idest in Calabria, quæ pars est Regni Neapolitani; ibi enim erat Thurium Urbs ampla inter ostia Sybaris, & Cratis fluviorum, in ora sinus Tarentini, quæ nunc diruta jacet, & ejus rudera videntur, dicta Sibari rovinata; & ibi locus dictus Torre Brodognetto, ut notat Ferrarius in Lexic. Geographico Verb. Thurium.

Duodecimò etiam in Plutarcho legimus, Lucullum repudiasse Clodiam Uxorem suam ob impudicitiam suspicionem; Syllam verò dimisisse Cæciliam ejus conjugem sub prætextu sterilitatis; & à supracitato Svetonio in Augusto traditur, Augustum ipsum repudiasse Scriboniam uxorem suam, eò quod pertæsus esset morum ejus perversitatem. Et in Vita Claudii idem Svetonius refert, eundem licentiasse Æmiliam Lepidam conjugem ob levissimas causas; Neronem quoque dimisisse Octaviam Uxorem, eò quod conversatione ejus non delectaretur; & adeò facile factum erat repudium Uxorum apud Romanos, ut Juvenalis Poeta Satyricus cecinerit, ad illud peragendum satis fuisse, si Uxor natum humidum haberet:

*Collige Sarcinulas, dixit libertus, & abi;
Jam gravis es nobis; sicco venit altera naso.*

Decimotertiò: Quod in usu fuit apud Romanos tempore infidelitatis, consuetum quoque fuit, & nunc est apud Sinenses infideles, à quibus solvuntur Matrimonia per eos contracta, ut scribit P. Joannes Philippus de Marinis Missionarius Societatis Jesu in Histor. de Japonib. libr. 1. cap. 7. pag. mibi 176. ubi ita loquitur: Passò hora à dire del modo, e ceremonie, con le quali il marito repudia la moglie, e da essa fa divortio. Se il marito è Mandarinò di Lettere, per più quiete, e gravità le fa presentare Libello scritto, nel quale dichiara la sua volontà di scioria, e darle licenza, che cerchi altro marito; e con ciò si pensa, che il vincolo maritale sia in tutto sciolto. Se il marito è persona volgare, e non sa Lettere, alla presenza di altri prende la forchetta di legno, con la quale mangia, e ne fa due pezzi frangendola; il medesimo pure fa d'una moneta di rame, simile al mezzo bajocco, che la parte per lo mezzo; e di essa una parte ne tiene perse, siccome della forchetta, e l'altra metà di questa, e di quella la dà alla moglie, che egli rifiuta. A tutto questo si chiamano testimoni, che ne possano far fede in giudizio; e senza questi segni il Repudio non è legittimo. Hò detto, che al marito solo è permesso il repudio della moglie, e non à questa del marito: niente dimeno ove non giunge la legge, supplisce la malizia della Dona; perche quando ella non sia contenta di quel marito, tante gliene fa, e si strana si mostra in tutto, che il misero, per liberarsi da quel travaglio, si muove à licentiarla. Idcirco etiam in Indiis, & apud Sinenses, qui profitentur Litteraturam, & juxta Jus naturale actiones proprias dirigere, & Imperium suum gubernare, non est insolubile vinculum Matrimonii; sed quodocunque sibi bene visum fuerit, illud frangunt, Uxores dimittunt, & alias sibi gratas copulare non desinunt.

Decimoquartò: Hoc ipsum faciunt Mahometani, ac Turcæ, ut referunt omnes, qui eorum statum, & mores observarunt; inter quos D. Ricaut Secretarius Oratoris Regis Angliæ ad Sultanum Mahometem IV. Imperatorem Turcarum in Histor. Imperii Ottomani de Anno 1681. in qua lib. 2. cap. 21. ita differit: Tre forti di divortii sono fra' Turchi, li quali tutti si fanno alla presenza del Giudice, ed egli medesimo n' essende gl' atti, e li registra. Il primo è fatto per separare il marito, e la moglie da una stessa casa, e da uno stesso letto, con obligatione al marito di mantenerla à sue spese di tutte le cose necessarie. Il secondo non solo li separa in tal guisa; mà il marito è tenuto di dare la Dote alla moglie, di modo che essa non hà più à pretendere nè quanto alla sua persona, ne quanto alla robba cosa alcuna, e può, se vuole, rimaritarsi con un' altro. Il terzo, che si chiama Ouch, Talach, si fa d'una forma più chiara, e con più dure condizioni. Solubilis est itaque nexus maritalis apud Turcas; quod etiam testatur Jo: Baptista Tavernier Itinerar. per Turcas, Persas, & Indos in Relatione Consuetud. & Rituum Turcarum pag. 201. ubi ait: Il marito può lasciare tutte le mogli, tornando à vendere le schiave, e pagando ciò che hà promesso à quella, c' hà tolto à Chebin, e separandosi dalla legitima. Se la donna hà giusta ragione di fare divortio; il marito è tenuto restituirle la sua dote: mà se egli la ripudia con causa, non le dà niente. Ex his omnibus hucusque relatis, ac aliis, quæ referuntur à Gonzalez in commentar. ad cap. 1. de Divortii n. 7. & seqq. tom. 4. dicendum videtur, insolubilitatem Vinculi Maritalis non procedere à Jure naturali, nec à natura esse prohibitam, quia ut ait Durandus in 4. dist. 33. quest. 1. num. 9. quem allegat Menochius de Arbitr. Judic. casu 420. n. 66. imò irrationabile videtur asserere, quod apud tot, & tantas nationes, etsi infideles, adeò fuerit obumbrata ratio naturalis, & lumen naturæ, ut non cognoverint, Matrimonia cum una Uxore inita non posse dissolvi; & illicitum esse naturali Jure, facere divortium non solum quoad thorum, & habitationem, sed etiam quoad Vinculum ipsum Matrimonii.

Porrò prædictis omnibus, & singulis non obstantibus conlatis, & inrefragabilis est conclusio in precedenti Decisione firmata sub num. 27. & seqq. quod ipsa indissolubilitas Matrimonialis nexus provenit tum à Jure divino, tum à Jure naturali; repugnat enim naturæ, quod Matrimonia fiant ad tempus; & possint dissolvi ante mortem conjugum ob illa gravissima incommoda, quæ resultant ex divortio; & ob importantes utilitates, quæ eveniunt à perpetuitate conjugii, & fuerunt recensitæ in d. Decis. VII. à num. 28. usque ad num. 33. Facilis autem est resolutio objectorum. Nam

Ad Primum circa dimissionem Agar, factam ab Abrahamo, responderetur tripliciter; idest legaliter, moraliter, & allegoricè. Responsio prima legalis est, quod Abraham dimittendo Agar Uxorem suam cum filio Ismaele non dissol-

vit vinculum Matrimonii; sed tantummodo fecit cum illa divortium quoad thorum, & habitationem; siquidem expulit eam de domo tanquam rixosam, incorrigibilem, superbam, & impertinentem erga Saram; ob quos defectus etiam nostris temporibus permixtum est divortium prædictum. Sanchez de Matrim. lib. 10. disp. 18. num. 11. Testatur Abulensis, & cum eo Cornelius à Lapide in Genes. 21. 14. cujus hæc sunt verba: *Non tamen facta est hic Matrimonii inter Agar, & Abraham dissolutione, ita ut liceret Agar alteri nubere. Agar enim non Matrimonio, sed domo tantum Abraham ejectione fuit per divortium ob suas lites, quas habuit cum Sara. Responsio secunda Moralis est, quod Abraham dimisit Uxorem Agar obediens Deo, & fidens eam, ac puerum Ismaelem; ab illius Divina providentia non derelinquendos: nam cum Abraham dura visa fuisset ejectione Agar, & Ismaelis de domo sua juxta voluntatem Saræ, Deus dixit Abraham d. cap. 21. Genes. num. 12. *Non tibi videatur asperum super puerum, & super ancilla tua: omnia, quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus; quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam, quia semen tuum est.* Unde Theodoretus quæst. 71. in Genes. ita scripsit: *Verumtamen (Abraham) valde diligens puerum, fecit, quod Dominus præcepit, & sic promissionibus Divinis credidit; quia non datis illi servis, ancillis, auro, vel argento, e domo iussit abire puerum, sed matre sola cum panibus paucis, & utre aquæ; jam enim certa erat præcipientis promissio, quæ Deus promiserat eis, effecturum se puerum in gentem magnam.* Observat tamen Abulensis, & cum eo opinatur Saliatus ad Annum 23 Mundi 2144. n. 8. mox à discessu Agar, & Ismaelis, Abrahamum eis copiose necessaria subministrasse, idque propter loci vicinitatem facile fuisse, & propter naturæ conjunctionem oportuisse. Responsio tertia allégorica est, quod ideò Abraham, Deo præcipiente, expulit Agar Uxorem suam cum Ismaele filio, retenta Sara, ac filio Isaac; quia Agar significabat Synagogam à Deo repudiandam cum Judæis ejus filiis, qui representabantur in Ismaele; Sara verò innuebat Ecclesiam, & Isaac populum Christianum à Deo semper custodiendum; ut ait Apostolus Paulus ad Galatas cap. 4. Vers. 22. ibi: *Scriptum est enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancilla, & unum de libera. Sed qui de ancilla secundum carnem natus est: qui autem de libera per repromissionem, quæ sunt per allegoriam dicta. Et paulò post: Sed quid dicis Scriptura? Ejice ancillam, & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ; quæ libertate Christus nos liberavit.* Unde super iisdem verbis: *Ejice ancillam sic commentatur Cornelius à Lapide d. cap. 4. Vers. 30. Deus hæc verba, & postulata Saræ probat, jubetque Abrahamo, ut Saræ in illis obsequatur, tum quia in se æqua erant, & iusta; tum ob typum, & significationem futurorum; volebat enim Deus hac ejectione Agar, & Ismaelis ex domo, & hereditate Abraham, significare pari modo repudiandam à Deo Synagogam cum Judæis, eosque benedictione, iustitia, amicitia, Ecclesia, & hereditate Dei expellendos esse, quia Christum, & Christianos persequuntur. Ita Ambrosius, Anselmus, Hieronymus, Rupertus, & alii.**

Ad secundum (Uxoris scilicet Sampsonis, quæ eo relicto alteri nuplerat) exemplum re-

spondetur, Primò dissolutionem vinculi Matrimonialis peractam fuisse non à Sampsonem; sed à ejus Socero, qui erat Philisthæus, ac Paganus; ideò nil mirum, si attentavit rem jure naturali prohibitam; præcipue ex odio occulto; quod in ipsum Sampsonem Hebræum nutriebat, timens ejus fortitudinem: idcirco se excusavit dicens: *Putavi, quod odisses eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Judic. 15. 2. Respondetur Secundò, quod inter Sampsonem, & Mulierem illam Philisthæam forsitan non fuit verum Matrimonium ob cultus disparitatem illud impediens, & dirimentem; nam prohibuerat Deus filiis Israel mulieres alienigenas, ac in-26 fideles accipere in Uxores sibi, ut legitur Exod. 34. 16. ibi: *Nec uxores de filiabus eorum accipies filiis tuis, ne postquam ipse fuerint fornicatæ, fornicari faciant, & filios tuos in Deos suos.* Ideò genitores Sampsonis eum redarguerunt, dum vellet cum Philisthæa contrahere Matrimonium. Judic. 14. 13. *Cui dixerunt Pater, & Mater sua: Numquid non est mulier in filiabus fratrum tuorum, & in omni populo tuo, quia vis accipere Uxorem de Philisthæis, qui incircumcisi sunt?* Et hic notandum, quod raro habeant felicem exitum Matrimonia, contracta à filiis contra voluntatem suorum genitorum, ut experientia demonstrat. Cornelius tamen à Lapide ibid. ait, Sampsonem non peccasse, quod contra legem petierit Uxorem Philisthinam, quia id fecit Deo impellente, ac proinde in lege sua dispensante. Respondetur Tertio, Socerum Sampsonis ejus Uxorem alteri nuptui dedisse, quia cum ab ea recessisset, & sibi odiosam crederet esse factam, putavit, eam repudiassse, juxta morem Hebræorum, quibus licitum erat Uxorum repudium ex Deuter. 24. 1. unde ait: *Putavi, quod odisses eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Judic. 15. 2. Respondetur, Quarto, sic permixtum esse à Deo, ut ab hoc exemplo Sampsonis, cui tam gravis injuria à Socero facta fuit, discant fideles abstinere à confœderationibus cum infidelibus, & cum hæreticis; eas enim benedictio cœlestis non prosequitur, & præcipue in conjugii ineundis, quæ ab Apostolo reprobantur 2. Cor. 6. 14. & de eis ita scribit S. Ambrosius lib. 3. epist. 24. ad Vigilium: *Cave Christiane, gentili aut judæo filiam tuam tradere. Cave, gentilem aut judæam, aut alienigenam, hoc est hæreticam, & omnem alienam à fide tua, uxorem accersas tibi.* Hinc prohibita est omnis amicitia, & conversatio cum hæreticis. cap. Omnis, qui credit. 24. quæst. 1. cum duob. seqq. Nam, ut ait S. Paulus 2. Tim. 2. 17. *Sermo eorum ut Cancer serpit.*

Ad Tertium exemplum Micholis filix Saulis, ab eo desponsata Phaltiel filio Laïs, erit antea eam dedisset in Uxorem Davidi, responderetur Primò, id factum esse iniquè, & invalide ab ipso Saule ingratisimo Rege erga Davidem, quem odio inimico persequabatur, timens ab eo sibi arripi Regnum; unde ait Cornelius à Lapide 1. Reg. 19. 16. *Vide quàm varium, & inconstans cor hominis, præsertim impij, & invidi, qualis erat Saul; hoc enim cum felle rancoris, & odii plane sit imbutum, esto ad tempus melle amoris obliniatur, illic eo evaporante ad felleas suas iras, invidias, & noxas mollitatis revertit*

revertitur. Idcirco nil mirum si Saul, qui impiè tentarat pluries vitam auferre Davidi, pri-
vaverit eundem Uxore sua Michole, tradendo
illam in conjugem Phaltielo filio Laïs. Respon-
detur secundo, id factum esse à Saule etiam in
vindictam, & opprobrium ejusdem filiae suae
31 Micholis; siquidem cum misisset satellites ad do-
mum Davidis, ut illum comprehenderent, &
necarent, Michol eum per fenestram dimisit, &
sic aufugit, & salvatus est; quod ut rescivit Saul
objurgavit illam dicens: *Quare sic illuxisti mihi,*
& dimisisti inimicum meum, ut fugeret? 1. Reg.
19. 17. & subindè in specie punitionis coegit
illam accipere in maritum alium virum, scilicet
Phaltielum filium Laïs. Responderet Tertiò,
32 invalidum fuisse hoc secundum Matrimonium
Micholis cum Phaltielo, quia primum cum Da-
vide non fuerat solutum; imò peccasse eamdem
Micholem consentiendo huic secundo conjugio
sènit Salianus ad Annum Mundi 2977. num. 51.
his verbis: *Itaque non caruit culpa Michol,*
quæ vivente marito consensit accipere virum
alterum; simulque facta est duorum virorum
Uxor; quod est contra Legem naturæ, & ra-
tionem Matrimonii. Neque potest dici, Davi-
dem à Michol repudiatum, sive quia id jus
mulieribus nunquam fuit; sive quia Michol di-
33 *ligebat Davidem; idèque invita alteri viro à*
Patre tradita est; sed non debuit assentiri
adulterio conjugio, ne morte quidem propo-
sita. Cæterum hæc opinio Saliani videtur nimis rigo-
rosa, neque admittitur à Theologis nostrorum
temporum, quos allegat Cardenas in *Crisi Theolo-*
gica Dissert. 20. cap. 7. à n. 79. & seqq. videlicet
Sanchez lib. 1. de *Matrim. disp. 11.* Henriquez
lib. 11. de *Matrim. cap. 9.* Castropalaum tom. 4.
disp. 2. punct. 12. & Aegidium Coninch. eod.
tract. disp. 28. dub. 3. qui omnes docent, non pec-
care mortaliter contrahentem Matrimonium per
vim, & metum cadentem in constantem virum,
34 est per talem vim, & metum, etiam mortis non
liceat simulare Sacramenta ob gravem injuriam,
quæ infertur meritis Christi, nam Matrimonium
involuntariè contractum cum sit nullum in ge-
nere contractus, est etiam nullum in genere
Sacramenti, & sic nulla sit injuria Sacra-
mento, aut meritis Christi, potestque simulari
35 contractum ipsius Matrimonii ad effugiendam
mortem, vel aliud grave damnum absque pec-
cato; quapropter verius esse videtur, Micholem
non peccasse nubendo secundo viro Phaltielo
ob vim, & metum gravem sibi illatum à Rege
Saul patre suo, (tanto minus, quia à tempore
Matrimonium non erat Sacramentum,) & sic
nimis severum fuisse Salianum facientem illam
ream peccati mortalis.

Ad Quartum exemplum Regis Assueri, repu-
diantis Vasthi Reginam Uxorem suam, respon-
detur, non esse mirandum, quod contra Jus na-
turale repudium illud fecerit, nam tunc fecit,
cum esset bilior, & post nimiam potationem in-
caluisset mero. Est lib. 1. 10. At testatur Hugo de
Sancto Victore, quod Ebrietas iudicium rationis
offuscet; & quod ubi regnat Ebrietas ratio
36 exultat, intellectus obtunditur, consilia deviant, ju-
dicia subvertuntur. Causa repudii fuit, quia
Vasthi Regina vocata à marito temulento, ut
veniret, & se conspiciendam convivii ebriosi
Doct. Clericali Tom. II. Lib. VI.

ad convivium transferret, noluit ire. Excusant
illam omnes Scribentes, imò jure recusasse ac-
cessum ad locum convivii affirmant; ait enim
Severus Sulpitius de Vasthi: *Stulto Rege consul*
tior, pudens virorum oculis spectaculum corporis
præbere jussa abnuvit. & Josephus Hebræus lib.
11. cap. 6. subdit: *Voluit ipsa Persarum leges cu-*
sodire, quæ ab alienis uxores videri prohibebant.
Idcirco inferunt tum Salianus Ann. M. 3592.
num. 10. & 11. tum Cornelius à Lapide d. cap.
1. Est lib. Vers. 11. in fin. Rectè ergo ex lege natu-
ræ, æque ac positiva Persarum Vasthi noluit suam
speciem ostentare convivio temulentis. Offendit
Jus naturale Assuerus ebriosus in repudianda
Vasthi, à qua observante leges naturæ, ac pa-
triæ se esse offensum ob ebrietatem putavit.

Ad Quintum verò, & alia quinque subse-
quentia exempla Romanorum, Uxorum repu-
dia cum solutione vinculi Matrimonialis permit-
tentium, etsi ipsi Jura naturalia profiterentur ser-
vare, respondendum est id, quod de eorum-
dem pluralitate Uxorem respondit celeberrimus
Menochius in tract. de Arbitr. Judic. casu 420.
num. 88. his verbis: *Mirum non est, si in hunc*
errorem inciderint, cum & his commiserint ma-
iores, nam Idola coluerunt, & nefandum sodo-
mie vitium, quod legi, rationique naturali repu-
gnare sciebant: & si percurramus Auctores jam
commemoratos, qui de ferinis horum moribus scri-
pserunt, multa certè inveniemus ab illis factata,
quæ nec fera ipse bestia, (ut ita loquar) fecissent.
De Idolorum multitudine, quæ adorabantur à
Romanis superfluum est agere, etsi naturali lu-
mine unum Deum solum conspiciere valerent,
ut conspexere Aristoteles lib. 12. Metaphysic. 39
text. 49. 50. 51. Trimegistus in Pimandro cap.
13. Pythagoras teste Anæagora in Orat. pro
Christian. & præter alios Philosophos ipse Plato,
ut probant Cyrillus libr. in Julian. Theodoretus
libr. 2. contra Græcos, & Eusebius lib. 1.
Preparat. cap. 9. Imò S. Ambrosius, lib. 3. ad-
vers. gent. demonstrat, Ciceronem ipsum adeo
clare de falsitate Deorum, ac de unitis solius Dei
veritate scripsisse, ut voluerint Romani ejus li-
bros de natura Deorum, tanquam Idolis inju-
riosos comburere. Sed quod magis mirandum
de Romanis est, eosdem etsi lumine naturali ad-
eò insignitos, & naturali Juri se obsequi profi-
40 tentes, etiam humanas victimas Deus suis sacri-
ficare consuevisse, quod declamat Tertullianus
in Scorpion. cap. 7. his verbis: *Scytharum Dia-*
nam, Gallorum Mercurium, Afrorum Saturnum
hominum victimam placari apud seculum liquit;
& Latio (idest Romæ) in bodiurnum Jovi me-
dia in Urbe humanus sanguis ingustatur. Et
concordat Minutius Felix in Octav. n. 3. Ro-
mani Græcum, & Græcam; Gallum, & Gallam
sacrificio viventes abruere: hodieque ab ipsis La-
tialis Jupiter homicidio colitur. Quis inficia-
bitur, contra Jus naturale fuisse hæc facinora?
Et nihilominus à Romanis perpetrabantur. Igi-
tur nil mirum, si etiam Uxorum repudia inter
eos introducta fuerant, quamvis à naturali Ju-
re prohibita, & per sexcentos circiter annos
in Romana Republica incognita, teste eodem
Tertulliano in Apolog. cap. 6. ita exclamante:
Ubi est illa felicitas Matrimoniorum de moribus uti-
que prosperata, qua per annos ferme sexcentos
nulla

nulla repudium domus sensit : jam verò repudium votum est, & quasi Matrimonii fructus.

Ad Decimum tertium Exemplum Sinensium, ac Decimum quartum Mahometanorum & Turcarum, repudia Uxorum frequentantium responderetur, eos non attendere Jus naturæ; sed à blanditiis Lûxuriæ trahi; nam, ut ait Seneca in *Tragœd.* 9. *Totum per orbem maximum est exortum malum Luxuries pestis blanda; & Valerius Maximus lib. 9. c. 1. Blandum malum est Luxuria, quam accusare aliquantò facilius est, quam vitare.* Nationes prædictæ carnales motus si cohibere vellent, & juxta lumen naturæ, ac rationis regulam discurrere, cognoscerent utique, Jure naturali insolubilia esse conjugia; ac eidem Juri repugnare repudia, dimissionemque Uxorum. At, ut Claudianus cecinit:

*Luxuries prædulce malum, quæ dedita semper
Corporis arbitrius bebetat caligine mentem.*

Et hac de causa non advertunt, se offendere Jus naturale, dum Matrimonia sua faciunt temporanea, ac solubilia; nec eorum perpetuitatem servant, quamvis à natura inditam, atque præceptam.

Sed requiret aliquis. Matrimonia Pagānorum, & Turcarum suntne valida, vel invalida? Et iidem, dum illa solvunt, repudiantes, ac dimittentes Uxores suas, peccantne mortaliter? Has esse molestissimas instantias, & quæsitæ difficillima scribit Emin. Card. de Lauræa de *Matrim. disp. 17. num. 173.* siquidem, quod eorum Matrimonia sint valida videtur decifum ab Innocentio II. in cap. *Gaudemus De Divort.* ubi hæc ejus sunt verba: *Qui secundum ritum suum legitimam repudiavit uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, nunquam ea vivente, licite poterit aliam, ad Christi fidem conversus, habere &c.* Ergo Matrimonia infidelium sunt valida. At è contra Gregorius Nonus in cap. *fin. De conditionib. apposit.* sic habet: *Si conditiones contra substantiam conjugii inserantur, puta si aliter dicat alteri, contrabo tecum, si generationem prolis evites, vel donec inveniam aliam honore, vel facultatibus ditiorum &c. Matrimonialis contractus caret effectu.* Sed insolubilitas Matrimonii est de ejus substantia. Glossa in d. cap. *fin. Verb. contra substantiam conjugii.* Ergo infidelium Matrimonia inita cum facultate illa repudiandi, atque dissolvendi non sunt valida. Pro conciliatione horum textuum, & solutione dubii sic est distinguendum:

43 Vel Pagani contrahunt Matrimonium cum pacto expresso, vel tacito illud dissolvendi per repudium; & tunc invalidè contrahunt, & eorum Matrimonium est nullum juxta d. cap. *fin. de condition. apposit.* Vel contrahunt cum sola generali intentione ducendi Uxorem juxta ritum suum, & consuetudinem nationis absque formali, seu actuali voluntate repudii; & tunc eorum Matrimonia sunt valida juxta d. cap. *Gaudemus. de Divort.* prout ita distinguendo respondet Emin. Cardin. de Lauræa d. *disp. 17. à n. 176. & seqq.* ubi allegat Sanchezium de *Matrim. lib. 5. disp. 12.* qui alios DD. ita sentientes cumulat; quibus ad-

dendi sunt Salmanticenses in eod. tract. de *Matrim. tract. 9. cap. 4. num. 26.*

Ad aliud Quæsitum, An infideles, Pagani, ac Turcæ peccent mortaliter, dum Uxores suas repudiant, ac etiam quo ad vinculum Matrimonii dimittunt? Respondet ipsemet Emin. Cardin. de Lauræa d. *disp. 16. de Matrim. n. 15. in fine,* quod si invincibiliter ignorent legem insolubilitatis Matrimonii esse divinam, non peccant, secus si sciant; & idem repetit eadem *disp. 16. n. 27. & n. 52.* quæ doctrina confirmatur ex illo Theologorum principio, quod ignorantia invincibilis excusat à culpa etiam in lege Divina, & in rebus Fidei. Emin. Card. de Lugo *disp. 13. de Virtute Fidei Divinæ n. 24.* Baldellus in *Theolog. Moral. tom. 1. lib. 1. disp. 26. n. 13.* Suarez de *Legib. lib. 3. cap. 18. n. 11.* Sanchez in *Decalog. lib. 1. cap. 16. n. 21.* & cæteris melius idem Emin. Card. de Lauræa in tract. de *Fide disp. 12. à n. 71. & seqq.* ubi auctoritates, ac probationes plurimæ.

DECISIO IX.

ARGUMENTUM.

Sex sunt, de quibus differit hæc Decifio circa Libellum Repudii, quo Judæi dimittebant Uxores suas, ex *Deuterom. 24. 1.* Videlicet, Quænam esset Formula ejusdem Libelli? & quibus cæremoniis daretur? An per ipsum solveretur Vinculum Matrimonii? An fieret absque culpa? Quibus de causis Uxores dimitterentur à Maritis? An ipsæ possent Maritos dimittere? Et an in præfenti licitum sit Repudium Uxorum inter Judæos, & alios infideles? Hæc omnia Juribus, Rationibus, Patrum Auctoritatibus, atque Historiis enucleantur.

SUMARIUM.

- 1 Judæi per libellum repudii solvebant Matrimonium: & num. 2.
- 3 Deuteronomium est quinta pars Legis Divine.
- 4 Lex Divina primum scripta in uno volumine, postea in quinque.
- 5 Deuteronomium hebraicè Misnè, idest reiteratio Legis.
- 6 Deuteronomii liber quando scriptus à Moysè? & cur scriptus?
- 7 Moyses quot annis ante Christum mortuus sit?
- 8 Formula libelli repudii, quam adhibebant Judæi.
- 9 Julii Mauroceni Neophiti liber laudatus.
- 10 Cæremoniæ decem, quas servabant Judæi in dando libello Repudii.
- 11 Libellus repudii solvebat vinculum Matrimonii.